



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

IX. Materna ejusdem dilectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



teneritudinis? Non eæ sunt voces parentis amantissimi, commoda juxta & incommoda liberorum ita excipientis, ut propria? Quid exprimendæ paternæ Dei in homines dilectioni significantius dici poterat, quàm illa viscerum commotio, & agitatio cordis amore vehementi palpitantis?

IX. *Materna ejusdem dilectio.* Simili locutione usus Isaia 49. in exemplo matris, quæ liberos, præfertim immaturæ ætatis, & ex utero nuper profusos, dulciùs amare solet, quàm pater. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui.* Vides materno affectui suum à Deo non conferri solum, sed etiam præferri, & meritò. Nam mater filium in utero gestat menses novem, Deus hominem toto vitæ tempore: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus*, velut intra materna viscera: *Audite, inquit Isaia cap. 46. domus Jacob, & omne residuum domûs Israël, qui portabimini à meo utero.* Filium in lucem editum mater aliquando dat lactandum nutritici;



nutrici; si ipsa alit, brevî tamen ablaçtat; Deus erga hominem semper fungitur nutriticis officio, ideóque nomen Tšaddai sibi tribui voluit, ut Mammofus diceretur; & Sapientia feu Providentia divina, loquens instar Deo assistentis, de seipsa pronuntiat, *cum eo eram cuncta componens, creans ac conservans, feu, ut alia versio habet, cum eo eram velut nutrix.* Denique mater filium ablaçtatum sinu & brachiis gestat, donec per se ingredi didicerit: Deus semper portat hominem verbo virtutis suæ, multò magis quàm cæteras partes Universi: *usque ad senectam ego ipse, inquit per Isaiam cap. 46. & usque ad canos ego portabo.*

X. Abire hinc non possumus, quin  
*Christi doctrina ea de re.* indicemus argumenta quibus  
 Christus ipse Matth. 6. curam  
 illam Dei de hominibus plusquam paternam commendat, & sollicitudinem hominum nimiam de rebus temporalibus circumcidit. Primùm, quia ista sollicitudo Deo contumeliam facit: de ipso enim diffidit, quasi providere vel nesciret, vel nequiret,